

1.
2.
3.
3.
3
3
3
3
3
Y.



DE
INSOMNIIS
VT SIGNO IN MEDICINA,

1749 35

3c

6

DIVINI NVMINIS AVSPICII

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXIV. DECEMBR. A. S. R. 1749.

H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPVTABIT

HEINRICVS WILHELMVS HEISTERBERGK,
STELTZENDORFIO-SAXO.

Heisterbergk

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI MENDELII, ACAD. TYPOGR.

W. B. G. 1749

uben.
ng ei
e auf
d Sie
wel
mit
f den
wer
nfere
und
ang
Bers
Bis
Sie
em
auf
Ge
s



DE
IN OMNIBUS
VT SIGNO IN MEDICINA

DIAM-NUMERIS VASIBUS
ET
GRATIOR MEDICORUM ORDINIS CENSURAS
P R A E S I D E
D. ANDREA ELIA BUCHNERO
POTESTATE P R O V I D E R E A U T O R I T A T E
M E D I C I N A E T T H E O R O P H I A E N A T U R A E M E D I C I N A E
M E M B R I S W O R D I A M N A T U R A E M E D I C I N A E
I N C O N T R A M A L T I C A M O R B I

P R O G R A V I D O C T O R I S
S Y M P T O M A T U M M E D I C I N A E H O N O R I S E T P R I V I L E G I I
D O C T O R I S M A G I S T R I C I
D. X I V . F E B R U A R I I A N N O D O M I N I M D C C L X I I I

I N P R I N T U P E T E R B U R G I
I N P R I N T U W I L H E L M I P E T E R S E C I
P R O P R I E T A R I I

A N T I Q U A R I A T I C A
V I D E A N T I Q U A R I A T I C A





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

INSOMNIIS
VT SIGNO IN MEDICINA.

PROOEMIUM.

*N*ihil est in tota medicina elegantius, nihil quod artis praestantiam ac certitudinem magis demonstret, quam praedictiones illae, de vita vel morte aegrorum a Medico editae. Quid enim magis est vel admirandum, vel aestimandum, quam furura decernere, eorumque contingentiam ita demonstrare ac ipsis veluti oculis subiicere, ut praesentia videantur, atque non tam remota, sed vel maxime propinqua adpareant? Ut nempe mathematicae cognitionis certitudo atque praestantia nunquam clarius ac manifestius adparet, quam cum siderum revolutiones, solis ac lunae

A 2

ecli-

eclipses, planetarum statio & reliqua ita praedicuntur, ut nihil certius sit, quam eo modo haec eventura, sicuti Astronomorum ostendunt calculi: ita in medicina quoque nihil est, quod supra reliquorum mortalium fastigium magis veluti evebat Medicum, quam ipsa haec quasi vaticinia. Factum inde existimo, ut apud antiquos gentiles non homines ex infima plebe, sed vel ipsi sacerdotes, futurorum nempe, ex divorum, ut existimabant creduli, consortio non ignari, divinam hanc artem exercerent. Videtur enim humani ingenii excedere, de futuris rebus ferre iudicium, cum vel contingenter fiant, vel si nexu quodam cum praesentibus coniunctae sint, hunc tamen nexum cognoscere mortalibus datum non sit. Nulla itaque re magis in sui admirationem artis ignaros rapit Medicus, quam hac ipsa futurorum cognitione, qua efficitur, ut eum, qui futura cognoscit, praesentia quoque sine negotio recte intelligere aegri existiment, ad eoque maiorem erga Medicum animi acquirant confidentiam, & faciliores sint in exequendis iis, quae a Medico imperata fuerunt, ut recte proinde atque adposite artis parens HIPPOCRATES dixerit: Summa cura anniti oportet, ut praeterita enarres, praesentia cognoscas, & futura praedicas. Totius vero huius praesagiendi artis fundamentum signa praebent, de praesenti, praeterito atque futuro morbi statu certiorum reddentia Medicum; quae si quis probe animo comprehenderit, eorumque causas intellexerit, nae is felix omnino in praedicendo erit iudicandus? Legi hac de re merentur ea, quae Illust.

PRAE-

PRAESES, cum in praefamine, tum in limine introductionis in Fundamenta Semiologiae medicae, hac de re differuit, ut mihi adeo hic non opus sit copiosius haec persequi, cum non de signis indeque formandis praefagiis generalia quaedam tradere, sed specialius aliquod signum, nondum ab omnibus animadversum, exponere hac Dissertatione inaugurali animus sit. A plerisque nempe Medicis, qui de rebus ad Semiologiam pertinentibus scripserunt, vel parum, vel omnino nihil de prognosi ex insomniis formanda expositum deprehendimus. Docuerunt vero nos non contemnendae variorum Practicorum observationes, negligi plane in diiudicando aegrorum statu insomnia non debere. Tum ipsa quoque, mechanicis principiis nixa, sanior de corporis statu theoria modum nobis ostendit, iuxta quem necessario ex morbosa corporis conditione mutatio in animo, eiusque ideis ac phantasiae imaginibus, contingere debeat. Negari enim non potest, insomnia, cum rerum per sensus perceptarum imagines sistant, in animo existere, adeoque videri possent, minus conveniens inde signum ad corporis statum diiudicandum desumi, cum experientia constet, non semper animum a corporis laesionibus ac morbis ita affici, ut certi aliquid atque securi ad mutationem in corpore factam concludi possit. Nonne enim qui sub diuturniori aliquo languent morbo, saepe animo valent? Nonne saepe & sensus omnes sani sunt, & recte percipiunt, iudicant, ratiocinia instituunt, ideas recte formant, & reliqua, quae sani efficiunt, aegri cum tamen

propius iam a fatali hora absint, ut inter iucunda etiam cum familiaribus colloquia, inter librorum lecturam extinctos tales sciamus? Sed cum negari tamen non possit, saepius in animo mutationem necessario fieri debere, mutata corporis constitutione, fatendum quoque est, in his casibus non probabiles modo, sed fere certas formari posse, ab animi mutationibus, ad eas quae in corpore accidunt, conclusiones. Sed cum haec in ipsa tractatione nostra fusius persequi atque exponi debeant, pauca haec praelibasse sufficiat. Servabitur autem a nobis is ordo, ut generalia primo, tum de operis argumento, tum de infomniis praemittamus: deinde infomniorum mutationem ex morbo corporis statu demonstremus, tandem de signis ex infomniis, ad praesentis atque futuri aegrorum status diiudicationem desumendis, quantum temporis ratio permittit, differamus. Faxit Deus feliciter!





§. I.



Ante omnia nobis, de *insomniis ut signo* in medicina acturis, occurrendum est dubio in praefamine iam exposito, quod totius tractationis fundamentum subvertere videtur. Valde nempe incertum & fallax hoc signum ab iis pronunciabitur, qui corporis statum ex ideis in animo formatis diiudicari posse negabunt, indeque concludi aliquid posse ad corporis constitutionem ex eiusmodi ideis formatis, cum, uti modo monuimus, animo saepius bene valeant, qui corpore aegri sunt. Usū hoc saepius evenire videmus in phtificis, hefticis, iis qui ex cordis polypo intereunt, vel apoplexia moriuntur, vel alia extingvuntur subitanea morte. In phtificis enim potissimum saepe animadvertimus, vix ullam aliquam graviolem in mente eorum oriri vel turbationem, vel virium vacillationem, praesertim si Philosophi sint & animum habeant rerum cognitione imburum, sed placide plerumque & tranquille eos decedere. Duplex hic erit responsio nostra: In iis primo, qui *subitanea morte* dece-

decedunt, ex cordis polypo vel apoplexia sanguinea, cum morbus statim ipsam mortem secum ducat comitem, paullo ante ipsam mortem morbus non fuit. Neque enim cordis polypus morbus est, sed morbi causa. Ipse enim polypus, quatenus non nimia mole sua cordis motum & sanguinis progressum impedit, corpori vitium aliquod haud infert, sed tum demum morbum inducit, cum vasa obturando, viam, per venas exeundi, sanguini praecludit, & sic suffocationem cum subsequente statim morte inducit. Idem de apoplexia sanguinea statuendum. Consistit haec in expansione vasorum sanguiferorum, vel, sub graviore statu, eorundem disruptione, & subito invadit, neque alia antecedentia habet signa, nisi generalia illa, congestionem sanguinis versus caput indicantia. Hi itaque morbi cum breviores sint & citissime ad finem decurrant, mirum sane non est, aegros quoque paullo ante, quam fatalis ingruat hora, recte mente constare, neque ulla apud eosdem, ex turbata mente, instantis mortis erui posse signa.

§. II.

Quid vero de *phibificis* ac *hecticis* sentiendum, quibus itidem sana saepe mens in aegro & morbofo corpore est? Non negabimus, in aegris vigilantibus, ex mentis statu atque ideis in phantasia occurrentibus, nihil omnino certi concludi posse de morbi statu, sed idemne fieri existimas in dormientibus? In vigilantibus, si rectae rationis usum nondum amiserunt, suppressi nascentes ideae possunt, si vel falsae esse,

esse, vel minus tamen probabiles videantur. Si cui enim aegro vigilanti idea occurrat lapsus ex alto in praecipitia, cum sensus contrarium testentur, statim animadvertet falsam hanc esse imaginem. Vel si incendii idea menti obveniat, cum nullum tamen ignem revera adesse visus tactusque demonstrent, facile supprimeretur ea imago. Ita nempe comparatus animus est, ut externorum sensuum testimoniis magis moveatur, quam internorum, & si quam rem, pro vera ab internis sensibus oblatam, per externos sensus aliter expertus fuerit, continuo falsam illam imaginem, quantum potest, ex animo eiiciat. Sic memorabile exemplum BOERHAAVIUS*) adfert, eruditi ceteroquin viri, qui, ex mentis nescio quo ridiculo errore, pedes sibi stramineos esse existimabat, continuo tamen errorem agnovit, cum, ex timore currere coactus, se non corruere, sed recte sane stramineis suis reputatis pedibus ferri deprehenderet. Et possent sane sexcenta huiusmodi allegari exempla, si opus esset. Occurrat itaque vigilanti aegro ex corporis mala constitutione idea quaedam, ex qua forte iudicari de corporis morboso statu possit, supprimeretur ea, neque huic indulgebit aeger rationis compos. Sed sub somno, dum e folio veluti deturbata ratio in latebras se suas recipere, & vagae imaginationi habenas regendi currus tradere cogitur, tantum abest ut falsae tales ideae eiiciantur, ut hae potius externis sensibus silentibus, tanquam foecundae matres, plures pari-

*) Praelect. Acad. in Institut. Vol. IV. p. 483.

ant, e quibus dein quodammodo inter se iunctis *insomnia* oriuntur, de quibus specialius nobis nunc erit exponendum.

§. III.

Insomniorum theoria iam nobis tradenda esset; sed nae pulchre is fallatur, qui fufe expositam hic a nobis exspectet tractationem, cum neque angusti Dissertationis id permittant limites, neque post tot Philosophorum, qui hanc rem uberius sunt profecuti, labores multum nobis, quod addamus, fuerit relictum. Vel nuper demum magnus Berolinensium Philosophus, celeberr. Dn. FORMEY, pulcherrimam exhibuit *insomniorum theoriam* *), quae ut legatur ab iis, quibus altius in haec naturae mysteria penetrare animus est, omnino digna erit. Sufficiat nobis hic pauca quaedam primis veluti labris degustare, quibus dein, tanquam fundamento, inniti tota nostra tractatio possit.

§. IV.

Res omnis redit ad eam, quam constanter observari a mente animadvertimus, legem, quod nempe coniungantur a mente ideae, quas semel coniungas casus menti exhibuit. Notum est, hac lege linguas a nobis disci, immo & artifices ex eadem lege eam acquirere in arte sua facilitatem, ut sine negotio ea perficiant, quae ardua minus assuetis videntur ac difficilia. Sic si amicum hoc vel illo vestitu singulari indutum aspexi, si alium dein quendam oculis

*) Histoire de l'Acad. Royale des Sciences & belles lettres, Ann. 1746. Class. philosof. Dissert. 3.

lis usurpare contigerit, simili gaudentem vestimento, cum vestimenti huius idea redeat & altera, amici a me quondam, simili vestitu induti, visi. Fragorem audis cum fulmine coniunctum, remanent in mente tua utraeque ideae. Contingit ut noctu dormientis aures levis aliquis fenestrae a vento agitatae, vel currus praetervehti, strepitus feriat, qui fragoris qualiscunque in mente excitet ideam, redit, cum fragoris olim auditi idea, fulguris quoque vis idea. Quis hic non facile animadvertet, insomnium inde enatum de gravi aliqua tempestate, de fulgure & tonitru, acturum? Si porro alio forte tempore, simili tempestate saeviente, in domum amici te receperis, isque forsitan singularem quandam rem tibi vel ostendit, vel narravit, huius quoque rei, excitata tempestatis imagine, redibit memoria, somniumque inde nascitur de ingressu in amici domum. Qui ex hac denuo idea ad aliam, simili occasione, alio forte tempore visam vel auditam, fieri transitus possit, haud difficulter ex dictis perspicitur. Atque inde adeo cognosci illius confusionis ratio potest, quam, facto ab una ad alteram ideam transiit, in insomniis admiramur. Tanta haec est, docente experientia, tamque mira, ut modo in ultimis terrae regionibus, modo in patria nobis videamur, nulla itineris facti notione hanc locorum mutationem intercedente.

§. V.

Haec *caussa* est insomniorum *extra nos posita*, ut vidimus, dum primus, qui phantasiam excitat, impul-

B 2

impulsus ab extra, percepto scilicet aliquo strepitu, oritur. Referenda huc quoque est alia a celeberrimo Dn. FORMEY notata causa, itidem ex parte extra nos posita, cum nempe ipsum corpus, post diuturniorem in lecto decubitum, suo se premit pondere, indeque sensatio quaedam oritur, cui dein iunctae variae, pro circumstantiarum ratione, ideae, insomnium producunt. Haec potissimum causa est, cur matutino potissimum tempore eveniant, cui tamen iungi altera debet mox exponenda. Intra ipsum nempe corpus causae quoque continentur insomniorum, quae eveniunt, nullae licet adsint externae causae. Has iam perlustrabimus.

§. VI.

Sensationes quae sunt omnes, non in organo, quod immediate a corpore sensum excitante impellitur, perfici, sed motu demum elasticae illius aerae, quae nervis inest, ad sensorium illud commune propagari, ex quo omnium nervorum sensationi inservientium origo petenda est, constat ex physiologicis. Lucis igitur radium, oculos tuos ferientem, non in retina sentis, sed in communi sensorio, licet iudicare possit, ex continua consuetudine, anima, impulsus in retina factum. Sic, quem audis, sonum, non in nervo audis per auris interiorum partem expanso, sed in eodem sensorio communi; iudicat illa ex singulari morus affectione, quae nescio quid continet, quod vel sagacissimis naturae scrutatoribus nondum innotuit, ex quo originem huius morus cognoscimus, ab aure motum istum derivari.

De

De reliquis sensibus omnibus idem tenendum. Iam quis non videt, eandem sequi debere sensationem, facto simili in sensorio communi motu, nulla licet externa causa adsit. Sub ipso somno aequabilis est sanguinis per totum corpus progressus. Nervi vero vel a copioso sanguinis ad caput adfluxu compressi, vel ob fluidi nervei defectum, factamque inde eorundem exinanitionem, collapsi, officio suo minus recte funguntur, neque sensationes, facta qualicunque in organo sensorio motu, ad commune deferre valent sensorium. Fit inde, ut, qui alto suppreffi iacent somno, saepe ab ingenti strepitu non excitentur, & notum adeo est, eos, qui Martis sequuntur castra, vel inter maximos bellicorum tormentorum fragores secure dormire, neque quidquam inde in quiete turbari. Collapsi nempe vel compressi nervi fluidi nervei in partes corporis influxum impediunt, fit inde, ut sapientissimo consilio colligatur hoc fluidum in cerebro, ex quo dein, ad finem vergente somno, denuo erumpit, atque in nervos influere incipit. *Duplex* ex hac consideratione insomniorum elucet *interna causa*, altera in *nervis*, altera in *arteriis* posita. Utramque iam considerabimus.

§. VII.

Sanguinis circulus cum sub somno esse soleat moderatus atque aequabilis, sequitur ut nulla pars corporis inde adficiatur. Sub naturali enim statu motum purpurei huius fluidi per cor atque arterias non sentimus. Eo autem qualicunque ex causa

aucto vel turbato, non potest non quin inde quaedam sequatur sensatio. Hoc eo rectius ut intelligatur, recordentur lectores, arteriolas in infinite parvos desinere ramulos, in ipso sensorio communiterrimatos, ex cuius altera parte, deposita arteriosa natura, sub fibrarum nervearum forma egrediuntur. Iam fac, vel ex corporis sub somno mutato situ, vel ab atmosphaerae statu alterato, quae vel frigidior facta sit, vel calidior, accelerari magis vel retardari sanguinis cursum, vel magis versus caput dirigi, necessario haec mutatio tunc ad sensorium quoque commune deferri debet. Sanguis enim si celerius, quam antea, moveri incipit, maiori vi obstatam gaudebit celeritatem, hinc in vasorum latera maiori vi ager, magis itaque haec expandet, & maiori adeo copia subtilissimum fluidum, ab eodem secretum, penetrabit ad sensorium commune, ex quo quis non videt motum ibi oriri, quem sensatio quaedam necessario excipiet. Sed unde ex hac sensatione idea? Dicam lectoribus, quid *Georg. Wolffg. WEDLIVS* *), celebris olim Ienensium Medicus, hac de re non ineleganter exposuerit: *Nubes, inquit, exhibent inter alia ideam vaporum somnificorum. Sicuti enim illae, earumque portiones, pro positura & motione diversa, repraesentant modo montes, modo homines, statuas ac figuras alias varias, mille modis variantes; ita etiam vividissimae, quae somni materiam, hoc ipso autem insomniorum fabricam constituunt.* Haec ille satis ingeniose! Sed ne simili tantum

*) In Dissert. de *Insomniis*, Ienae 1690. habita, p. 13.

tum res illustrata, non vero rite videatur demonstrata, illud attendendum est, quod cum qualibet sensatione coniuncta necessario sit idea quaedam. Sensationes enim nobis gratæ sunt aut ingratae; unam igitur harum idearum cum sensatione semper coniungimus. Sit itaque ingrata, quæ ex nimio fluidi nervi in sensorium influxu oritur, idea, non cessabit phantasia, alius ingratae sensationis, olim a nobis expertæ, imaginem cum hac coniungere. Fiet inde, ut eadem de causâ, aliis porro ideis suscitatis, oriatur insomnium. Deinde motus, in sensorio communi hoc modo excitatus, similis esse potest motui per sensus externos excitato, cum & hic ad commune sensorium propagari debeat, ut percipi ab anima possit (§. antec.). Si itaque motui, alias per nervum opticum vel auditorium excitato, similis sit, imago visæ vel auditæ rei oriatur in animo.

§. VIII.

Facile itidem animadvertitur, originem insomniorum *e nervis* peti posse. Fac enim accumulari fluidum in cerebro, & tandem in nervos denuo influere, hoc fieri nequit, sine collapsorum antea nervorum aliqua agitatione. Irruens enim hoc fluidum impinget in latera nervorum, & hæc ad tremulum concitabit motum. Hic motus denuo fluido communicabitur nerveo, indeque rediens ad cerebrum, sensationem excitabit, quæ coniunctam secum habet ideam, ex qua dein, cum aliis, ex lege supra (§. IV.) exposita, iuncta, insomnium oriatur. Et hæc quoque simul causâ est, quod matutino potissimum

tissimum tempore ingruat, cum collectum sub quiete & abundans iam fluidum nerveum novo flumine redire atque in nervos influere incipiat.

§. IX.

Pro sanguinis itaque ac fluidi nervei constitutione, pro tensionis solidarum partium gradu, varias hoc modo produci posse ideas atque insomnia, haud difficulter colligitur. Concludimus exinde, in sanis hominibus, pro *aetatis, sexus ac temperamenti* ratione, insomnia quoque valde variare. In *infantibus* enim mollior textura est, maiorque succi nutritii copia; hinc sanguis per cerebri vasa non cum impetu fertur, sed blande progreditur, neque vasa valde tensa sunt, hinc nec renisu suo validum fluidorum efficient motum, neque fluidum nerveum vehementius iusto impelleretur. Hoc autem sub statu neque vehementes erunt sensationes, nec ideae inde ortae de rebus insolitis, formidolosis, aut aliis, vehementes motus excitantibus. Somnia ergo infantum de iucundis potissimum suavisque erunt rebus. Idem de *sequiori sexu* tenendum, nisi quod hic ad aetatem respici simul debeat; quae enim adultiores sunt virgines vel foeminae, de rebus ad amorem spectantibus facilius somnia experientur, cum insomnia infantum pro idearum, quas ipsi habent, ratione, magis de lusu rebusque puerilibus agant. Quoad *temperamentum* scimus, *cholericorum* sanguinem citius in gyrum agi, fibras eorum magis esse tensas, ac proinde ad vehementiorem tremulum motum procliviores. In *sanguineis* contra
sanguis

sanguis placide mouetur, fibrae nec laxae nimis, nec nimis tensae sunt, & motus facile quidem suscipiunt, sed & eadem facilitate denuo amittunt. In *melancholicis* tensae sunt, sed rigidiores fibrae, minusque flexiles, sanguis spissus est ac tardius progreditur. *Phlegmaticorum* denique fibrae laxae sunt & crassae, sanguis facis fluidus, sed minus solidarum, nimium vero fluidarum partium continet.

§. X.

Quid inde igitur mirum, si cholericorum sanguis maiori vi agat in solidas cerebri partes, in iisque maiorem excitet tremulum motum, ut inde natae ideae de terrore, igne subitaneo, bello, digladiatione, rixa, verberibus & aliis huc pertinentibus, talia quoque producant insomnia. Sed ex eadem ratione parum inter se cohaerebunt eorum insomnia. Cum enim valde mobiles & ad tremorem suscipiendum dispositae eorum solidae partes sint, facile excitata una quadam idea, ex impulsu in alio loco alia excitabitur, ut inde nova adpareat scena. In sanguineis gratiores ideae erunt de rebus ad amorem spectantibus, de comotationibus, de suavis colloquiis, de nugis, iocis aliisque iucundis rebus, cum placide procedens sanguis blande fibras adficiat, ac gratas efficiat sensationes, quibus gratiae aliae deinde ideae facile iunguntur. Eadem vero in eorum insomniis regnabit inconstantia, cum non tam altae ideae ipsis imprimantur. Hoc tamen adhuc notandum, in sanguineis saepissime de sanguinis profusione, teste experientia, insomnia oriri. Fit hoc, ut
C puto,

puto, ob plethoram cum hoc temperamento ut plurimum coniunctam. Docet enim experientia, a plethora, praesertim si commota fuerit, facile talem fluidi nervi oriri motum, qualis a rubro alias colore suscitatur. Videmus hoc luculenter in febribus. A rubri vero coloris idea ad sanguinis ideam facilis est transitus. Melancholicorum insomnia longe erunt maiori ordine disposita, cum rigidiores eorum fibrae, ad motum tardiores, non tam facile ad novas ideas producendas occasionem praebent, cum tamen in suscepto semel motu diutius perseverantes, quam semel excitarunt ideam per longum satis tempus conservent. Cum vero spissus eorum sanguis sit, & tardius progrediatur, gravius hinc afficiet minima vascula & diutius tendet, ut inde anxiae orientur ideae, de suffocatione, de suspendio aliisque mortis generibus, de furibus ac latronibus, de spectris, aliisque terriculamentis. In phlegmaticis rariora insomnia ceteris paribus, cum crassae & laxae fibrae non tam facile ad motum disponi queant, neque sanguis magna vi moveatur. Si vero patientur insomnia, de rebus mollibus, aqua, coeno, ob leviores sanguinis impulsus, factamque leviores inde sensationem, potissimum agent. Probe tamen hic advertendum, quod recte a celeberr. Dn. D. DANIEL *) notatum deprehendi, haec omnia non de singulis, sed de saepius tantum repetitis insomniis valere, neque hoc mirum, cum & externae causae, &

res

*) In tractatione de insomniis, quae continetur in denen Beyträgen zur medicinischen Gelehrsamkeit, p. 66.

res interdiu occurrentes occasionem saepe praebent insomniorum (§. IV.).

§. XI.

Et haec quidem generalia de insomniis sufficiant: nunc, quid *mutatus corporis status* ad insomniorum mutationem conferat, demonstrandum. Insomnia ex sensatione quadam, vel a sanguine, vel a fluido nerveo facta, originem ducunt (§. VI.). Hinc generaliter iam concludi potest, eorundem naturam ex *mutato* vel *sanguinis*, vel *fluidi nervi progressu* mutari debere. Hanc iam mutationem specialius illustrabimus. Vis corporis agentis dependet a massa & celeritate eiusdem. Augeatur illa, vel eadem manente celeritate, massa saltem aucta, vel manente eadem massa, sed celeritate maiori reddita. Vis itaque *sanguinis* si considerari debeat, utrumque erit attendendum. Augebitur vis sanguinis, aucta eius celeritate, h. e. cordis motu ob qualemcunque causam auctiori reddito. Qualis inde vero effectus ad insomniorum mutationem? Aucta celeritas maiorem vim efficit sanguinis, maioremque eius actionem in vasorum latera, ex hac sensatio oritur (§. VII.); haec vero sensatio proportionata sit oportet vi irruentis sanguinis. Ast hic varii occurrunt casus: sanguis enim vel est in consistentia ac indole sua depravatus, vel non est. Si depravatus est, vel magis est fluidus quam in statu naturali, vel magis spissus, vel acri laborat dyscrasia. Si nimis fluidus sit commotus sanguis, erit quidem impetus eius in vasa cerebri naturali vehementior, sed blandior ta-

men, eo modo, quo videmus aquam effusam, licet magno impetu in corpus irruat, blandius tamen agere, quam simili impetu irruentem lapidem. Excitabitur itaque ab hoc impetu phantasia, sibi que formabit ideam agentis in se corporis, sed blande agentis. Facile emergere inde potest somnium de lapsu in aquam cum vitae periculo imminente, vel de tempestate cum ingenti pluvia & similibus. Si spissior simul sanguis sit, non impetus tantum maior erit, indeque excitatae ideae vividae magis, sed ob spissitudinem ipsam, quae tristes excitare ideas solet, tristitia quoque phantasmata, de violenta morte, vel alio quodam infortunio, excitabuntur. Acrimonia denique coniuncta, cum irritando & stimulando qualemcunque dolorem producat, vel ingratam saltem sensationem, de vulnerationibus aliisque dolorificis rebus insomnia generabit. Si vero nulla facta fuerit sanguinis depravatio, & sola augeatur celeritas, insomnia inde evenient, non nisi gradu ab iis, quae alias in eodem subiecto sub sano statu occurrere solebant, parum diversa. Sic si quis cholericus de igne vel rixis, sub sano statu, frequenter somniaverit, commoto eius sanguine de iisdem rebus somniabit, sed longe vehementius, ut de subitaneo & late diffuso incendio, de digladiationibus cum coniuncta simul vulneratione, vel ipsa quoque morte, similibusque rebus.

§. XII.

Ex iis, quae in praecedente §. dicta sunt, facilis est ad somniorum eam mutationem conclusio, quae
ab

ab aucta sanguinis massa & cleritate simul proficiscitur. Aucta nempe sanguinis massa supponit vel plethoram, vel spissitudinem sanguinis. Haec quid efficiat, iam demonstratum est; plethora commota, quae exitum saepe per haemorrhagias quaerit, praeter iam exposita phaenomena hoc quoque efficit, ut facto maiori affluxu versus eam partem, per quam perrumpere conatur, distendat ibi vasa, sensationem efficiat, & insomnia inde producat, vel de membri cuiusdam vulneratione, vel de spontanea ex ea parte eveniente haemorrhagia. Imminutus nimis sanguinis progressus, cum spissitudine eiusdem, ut fit plerumque, coniunctus, cum facile stagnationes efficiat, tristes ideas excitabit, cum formidolosis, de spectris & cacodaemone, insomniis.

§. XIII.

Quae ex *nervorum statu mutato* evenit insomniorum mutatio, difficilis cognitu non est. Nervorum status mutatur a causis vel *intra*, vel *extra nervos* contentis. *Intra nervos* nullus, nisi *fluidi nervei*, mutatus esse potest status; *extra* eos plures possibiles sunt, infra demonstrandae, mutationes. Fluidi nervei naturam, ob eiusdem subtilitatem summam, mutari posse, probabile haud est. Omnis itaque eiusdem mutatio in motu quaerenda erit, qui, dum a naturali recedit statu, vel tardior fit, vel celerior quam par est. Si tardior fiat, vitium in immutato fibrarum tono quaerendum, cum omnis fluidorum celeritas, docente Physiologia, a tono dependeat solidorum. Tardior vero fluidi nervei pro-

gressus tristes excitare ideas solet, quod praeclare in chronicis animadvertimus morbis *) : infomnia itaque e tardiori fluidi nervei progressu enata, de tristibus rebus actura esse, facile intelligitur.

§. XIV.

Extra nervos causae positae variae sunt, ad tres tamen generaliores reduci omnes fere possunt, cum nervi vel *comprimantur*, vel *tendantur*, vel *ab acrimonia* quadam *irritentur*. Videri quidem posset, pressionem nervi, cum influxus fluidi, quod vitam & sensum ipsis conciliat, inde impediatur, nullam plane sensationem peculiarem inferre posse, sed sensationum cessationem efficere potius debere. Sed notandum hic nobis est, non omnem impeditum influxum fluidi nervei in nervos sensationis efficere cessationem, quin potius peculiarem excitare sensationem, si non in totum, sed aliqua saltem ex parte fuerit impeditus. Nonne enim post insigniorem aliquem laborem, unde defectus nervei indutus est fluidi, lassitudinem sentimus? Nonne idem evenire solet somni tempore adpropinquante, dum maiori iam copia ad caput tendens sanguis comprimere nervos somnumque invitare incipit? Et quid de peculiari illo sensu dicendum est, qui oculos circa somni tempus obsidet, tamque miram dormiendi dulcedinem infert, ut eandem vel cum mortis periculo saepe redimant, stantes in excubiis milites?

Nonne

*) Quomodo a tardiori fluidi nervei motu tristes oriri ideas possint, de eo vide Dissert. sub Illustri PRAESIDE hic habitam, de singulari sensibilitate hypochondriacorum, §. 36.

Nonne is manifesto ex defectu influxus fluidi nervei evenit, quo parcius in palpebrarum musculos influente, hi sustinere se amplius non valent? Talis igitur sensus, in aliqua corporis parte eveniens, cum lassitudinis ideam habeat coniunctam, insomnia inferre potest de longo pedestri vel equestri itinere, de ascensu in montem, vel de lapsu cum contusione indeque sequente membrorum lassitudine. Ut mirum adeo non sit, quod talia subiecta, quam in somno fenserant lassitudinem, eandem expergefata dein adhuc experiantur, cum non ut vulgus putat ex somnio lassitudo, sed ex lassitudinis sensu singulari illud insomnium provenerit.

§. XV.

Tensi nervi fere semper anxiam quandam proferre solent imaginem. Accidit vero talis tensio a vasis nimium quantum sanguine repletis atque infarctis, unde necessario nervi, vasa talia inuestientes, tenduntur. Tenso autem nervo ad duplex potissimum attendendum erit phaenomenon: Primo enim cavitas nervi, per quam, ut vero videtur simillimum, subtilissimum illud fluidum fertur, minui debet. Facile hoc videre est, si vas aliquod, ex matato animali desumptum, tendas, ubi manifesto cavitas minuetur. Et demonstrari hoc adeo geometricis rationibus facile possit, si quem existimarem fore, hac de re qui dubitaret. Si vero cavitas vasis cylindracei in aliqua parte minuitur, ad conicam accedet figuram, qualem in sanguiferis vasis corporis nostri animadvertimus. Hoc modo mutata figura,
fluidum,

fluidum, latera vasis placide alias praetervectum, iam agere in latera incipiet, uti facile is viderit, qui pulsus in arteriis productionem consideraverit. Sed tenso nervo eius quoque augebitur tremulus motus; quo enim magis tensa chorda est, eo altiorem edit sonum, hoc est, eo citius vibrationes eiusdem se excipiunt. Et notum adeo est, tremulum illum nervi motum, cum quavis coniunctum sensatione, non nisi a naturali illa nervi tensione oriri, quam *tonum* dicimus. Patet inde, aucta fluidi in latera vasis actione, aucta simul nervi elasticitate, maiorem utique oriri debere sensationem, ut inde vel doloris, vel anxietatis saltem in animo oriatur idea. Accedit, quod, si talis tensio in nervis facta fuerit ad musculos respirationi potissimum inservientes tendentibus, vel a sanguinis in pulmonum vasis stagnatione, indeque facta eorundem expansione, ortum duxerit, eveniat inde respirandi difficultas, quam anxia excitare insomnia eo minus mirum, quo certius est, cum respirationis difficultate semper anxietatis cuiusdam coniunctam esse ideam, quam vigilantes etiam satis manifeste animadvertimus.

§. XVI.

Irritatio denique *nervorum* ab acri quadam materia, varias menti offerre potest imagines variaeque inde producere insomnia. Prout enim illa gradu differt, & vel maior, vel minor, vel repentina, vel successiva est, itidem quoque vel doloris, vel ingratae sensationis, vel terroris, vel denique pruritus cuiusdam, sive mediae alicuius inter gratam & ingratham,

gratam, ideam plerumque excitat, unde dein derivata insomnia, de laesione aliqua cum dolore, vel vi-
 fae cuiusdam rei terribilis, vel lapsus, vel etiam vo-
 latus per auras, cum nescio quo sensu oblectationis
 coniunctae, pro vario, quo phantasia has nectit ima-
 gines, modo variantia, mireque composita oriri de-
 bere, nullo negotio intelligitur. Ex his iam facile
 satis generali modo cognoscat lector, non omnino
 vanum esse laborem, si quis, ex his somniorum mu-
 tationibus, factas in corpore mutationes cognoscere
 ac diiudicare fuerit conatus. Quid hac in re amplius
 sit observandum, paucis adhuc demonstrabimus.

§. XVII.

Primo itaque insomnia pro facilitanda cog-
 nitione *temperamenti* subiectorum, signum esse pos-
 sunt Medico. Cum enim pro temperamenti consti-
 tutione insomnia varient, ex eadem variatione, col-
 latis reliquis signis, corporis scilicet habitu, moribus,
 &c. iudicare de temperamento subiecti poterit. Sic
 ex parum inter se cohaerentibus insomniis, de vehe-
 mentibus rebus, caede, bello, &c. agentibus, ad chole-
 ricum, ex iucundis de sanguineo (§. X.) conclusio va-
 lebit, & sic de reliquis quoque iudicandum tempera-
 mentis. Quam utile vero atque proficuum sit Me-
 dico, subiectorum nosse temperamenta, vel is saltem
 perspiciet, qui non ignoraverit, tum morbos pro
 temperamenti ratione admodum variare, tum me-
 dicamentorum operationes in variis temperamentis
 esse diversissimas, ita ut, quod cholericis exhibuisti
 pharmacum optimo cum fructu, idem si phlegma-
 tico exhibeas, parum ille inde moveatur; & quod e-

D

contra-

contrario probe se gessit in phlegmatico, periculossimum in cholerico praestet effectum. Neque id mirum, quoniam pro diverso tensionis fibrarum gradu diversa est earundem sensibilitas, ab hac vero ut plurimum pharmaci dependet actio: gradus autem tensionis fibrarum ab ipso determinatur temperamento.

§. XVIII.

Specialius vero signum morborum ingruentium praebent insomnia, vel consuetis alias & temperamento accommodatis insomniis minus convenientia, vel plane contraria. Quod itaque auctiorem redditum sanguinis circulum, cum febre coniunctum, attinet, is ex vehementioribus illis insomniis (§. XI.) cognosci poterit, ubi simul ad ipsam sanguinis constitutionem concludere licet, ut supra demonstravimus. Recte hoc animadvertit celeberr. Dn. D. DANIEL / c. ubi simul aliud imminentis febris signum exponit, non contemnendum in intermittentibus potissimum, cum frigore vel horrore coniunctis. In his enim, ingruente frigoris paroxysmo, a spasms incipientibus peculiaris aliquis lenioris irritationis oritur sensus, insomnium de volatu per auras potissimum inferens. Non equidem in omnibus spasmodorum generibus eundem occurrere existimo, sed in iis potissimum, ubi coniuncta est nimia feri in sanguine abundantia, unde commotus sanguis singularem talem exhibet sensum (§. cit.). Si enim spissitudo simul quaedam coniuncta sit, magis terribiles inde nascentur ideae, ut concludi inde a talibus ideis atque insomniis ad coniunctam simul spissitudinem possit.

§. XIX.

§. XIX.

Eaedem febriles commotiones indicantur in non adfectis per crebriora ac formidolosa de igne, indeque imminente vitae periculo, somnia: neque illud mirum. Cum enim ab aucto sanguinis motu calor producat, idem hoc sub febrili quoque sanguinis commotione fiet, testante id quotidiana experientia. Hoc vero si sub somno contingit, quid mirum, calor ideam inde excitari in dormientibus, indeque cum hac simul de igne oriri insomnia. Animadvertendum vero hic est, eorum insomnia, qui febre vel iam laborant, vel quibus ea saltem imminet, nunquam fore bene ordinata atque disposita, sed in confusis plerumque consistunt ideis nulloque ordine cohaerentibus. Cum enim quam maxime turbatus in febribus sit sanguinis circulus, modo hic, modo illic sensationem excitari, eique iungi ideam, quid mirum? Quo vero magis haec insomnia evadunt turbulenta minusque cohaerentia, eo maiorem circuli sanguinisurbationem, immo vel summam progressum huius fluidi per cerebrum mutationem, cum imminente meningum inflammatione, sive phrenitide, indicant.

§. XX.

De tristibus vero rebus simulque anxiiis agentia insomnia, spissitudinem tardumque tam sanguinis, quam fluidi nervei indicant motum (§. XII. & XIII.): hinc morbos chronicos vel praesentes, vel brevi imminentes designant. Non possum quin memorabile adducam exemplum, quod *Henricus ab HEERS* *) exposuit, atque eo maiorem omnino meretur attentionem,

D 2

tionem,

*) Vid. eius *Observation. medic.* Observ. II. p. 26.

tionem, quo magis illud demonstrat, insignem esse phantasiae, ex circulo sanguinis turbato depravatae, sub somno potentiam. En ipsa Auctoris verba: Religiosus quidam sacerdos, lustrum nonum fere aetatis emensus, iam a quindecim annis, aliquot noctibus, trubicibus & horrendis infestatur somniis. In iis mortem sibi intentari autumat, idque ut plurimum ab amicissimis, aut iis, quibuscum numquam illi vel iurgii, vel disputationis vola aut vestigium intercesserit. Singulis tamen somniis, etiam eadem nocte recurrentibus, mutat personas, caedis instrumenta, aliasque circumstantias; modo enim sclopo, nunc gladio, iam fustibus aut conto vapulaturum se putat. -- Haec somniorum mormolykia ter, quater & saepius, singulis recurrunt noctibus, idque circa primas noctis vigilias; rarissime enim media nocte transita patitur. Terror hic supra vulgares panicos tantus est, ut licet funibus vel linteis, multiplici plexu irretitis, sciens volens, imo praesentes hoc obsecrans, vesperi vinciantur pedes, terribilis per opaca ludens sensus, noctis imago, vires illi tantas sufficit, ut furibundus, & coeptis immanibus efferus, ceu novus Sampson, vincula vel omnino diffingat, vel certe compedibus pedes expediat, seque extra lectum, imo extra cubile coniciat, tanto horrore & horripilatione, ut toto corpore concutiatur, convellatur, cordis palpitatione tanta tentetur, ut saepe cum manifesta febrili lecto se reddat. Haec omnia dicit apertis sibi observari oculis, campanae pulsus se audire, horasque distincte numerare, sola se libertate iudicii circa ea, quae spectant obiectum somnii, privari. Nihil mutationis sensit a coelo calido vel frigido, nihil etiam si esuriali-

bus

bas diebus incoenatus, aut si aliis a coena somnum ininit. Vir hic temperamenti sanguineo-melancholici, studiisque valde deditus fuisse describitur, ex quo & sedentaria vita, & orta inde humorum spissitudo iudicari possunt. Simul tamen hypochondriaci quid fuisse coniunctum, ex continuis studiis, quibus deditus erat, suspicari licet, & orta fuisse insomnia a fibrarum cerebri debilitate, quae proinde copiosum spissumque sanguinem propellere haud valuerunt, vel ex eo colligitur, quod ex assumpta paullo maiori vini bonae notae copia melius semper habuerit, & insomnia non parum de atrocitate sua remiserint.

§. XXI.

Aliud refertur exemplum a Georg. Franco a FRANCKENAV, in Ephem. Acad. Nat. Curios. Dec. I. Ann. IV. Observ. CIV. hisce verbis: Uxor charissima iam a tribus annis dolore vexatur hypochondriaco, cum suetis symptomatibus, quae noctu fere eam affligunt. Antea vero per somnum quasi sentit venturum malum; quare somnum habet ut plurimum huius vel alterius morbi obrepentis, interdum periculi in aquis, nonnunquam aliarum rerum tristium. Expergesta, statim, vel paullo post, sentit incumbere dolores istos. Quoties ergo noctu contingit, (contingit vero maxime) toties per somnum nunciatur. In hypochondriacis spissitudo adest sanguinis, adest & debilitas ventriculi & primarum viarum, collecti hinc a remanentibus cruditatibus vapores intestina expandunt, latera eorundem premunt, inde sanguinis per vasa ibi discurrentia progressus intercipitur, ut proinde ad caput magis regurgitet. Ob spissitudinem
D 3 tardior

tardior est sanguinis circulus, hinc neque fluidum nerveum solitam retinebit agilitatem; ex his verò omaibus quid quaeso, nisi tristes excitari imagines poterunt (§. XII. XIII. XIV.)? Quod vero hoc in subiecto somnia de ingruente eodem, quo laborabat, morbo, paroxysmi recursum praenunciaverint, id non equidem qualicunque animae divinationi, qua futura praesagiat, sed tantum legi illi phantasiae, §. IV. noratae, tribuendum puto. Haec enim foemina diu iam hoc morbo laboraverat, hinc ab experientia edocta iam erat, cum hac vel illa sensatione morbi initium coniungi. Excitata ergo sub somno hac idea, necessario altera quoque de morbo ingruente redibat, & sic iudicatu facillimum est, qui insomnium morbi ingruentis ipsum morbi annunciare potuerit reditum. Sed unde sub hoc statu idea suffocationis in aqua? Haec quoque unde originem duxerit, facile intelligitur: A flatulentis enim, in hypochondriacis ventriculum & intestina obsidentibus, distenditur ventriculus, premitur diaphragma, hocque pressum pulmonum expansionem liberam impedit, atque thoracis minuit cavitatem. Turbatur inde sanguinis per pulmones transitus, ventriculus cordis dexter nimium sanguine impletur, inde musculus cordis cum contentis nervis premitur, fluidi nervei influxus turbatur ac impeditur, fit inde, ut minus rite succedere possit respiratio, & anxietas inde emergat praecordialis. Iam vero cum suffocatio ab intercepto, per pulmones potissimum, sanguinis circulo, & insecuta inde nimia cordis, a sanguine impleti, distensione oriatur, idea suffocationis hinc facile excitari

citari potuit in animo, quae, ob temperamentum phlegmaticum, in mulierculis non raro simul coniunctum, facile insomnium, de suffocatione in aqua facta, producere potuit.

§. XXII.

Eidem difficiliori sanguinis per pulmones progressui anxia in plethoricis occurrentia debentur insomnia. Si enim ita abundet sanguis, ut cordis ac artieriarum vis vix ad illius motum libere conservandum sufficiat, facillime stagnationes efficientur, quae eo adhuc facilius fient in pulmonibus, quo magis ipsa pulmonum textura, docente Anatomia, ad difficiliorem reddendum sanguinis progressum conspirat. Cellulae enim, vel vesiculae, ut alii malunt, vasis sanguineis cinctae, sub expiratione collapsae, veluti obicem ponunt irruenti sanguini, eiusque motum, dum inspiratio sequitur, impediunt. Hoc in summe plethoricis quid quaeso aliud efficit, nisi cordis ab accumulato sanguine, ut & arteriae pulmonalis, e dextro cordis ventriculo ad pulmones tendentis, expansionem? Quae cum anxietatis ideam semper habeat comitem, ut anxia inde orientur insomnia necesse omnino erit. Sed cum similis anxietas in aliis quoque occurrat subiectis non plethoricis, non ad hoc insomniorum genus tantum, sed & ad aliud simul respiciendum puto, plethoricis magis familiare ac proprium, illum existima lassitudinis sensum, cuius §. XIV. mentionem fecimus, e quo insomnia orta de montis ascensu, de magni ponderis gestatione, de immersione in coenum, ex quo ut emergant aegri, ad defatigationem usque sibi laborare videntur. Causa huius

huius rei haud difficulter intelligitur. In plethoricis enim, ob sanguinis abundantiam, sanguifera vasa omnia expansa sunt, ut non solum in eorundem tunicis disperfae premantur nerveae fibrillae, sicque minus rite influat elasticum fluidum, sed in ipso quoque cerebro origines neruorum, motus voluntarios efficiunt, quadantenus magis comprimantur. Parcior inde evadet fluidi nervei in musculos voluntarios influxus, hinc eorum debilitas & lassitudinis sensus. Accedit, quod & nimia copia abundans sanguis pondus sicut totius corporis, ita & singulorum membrorum insigniter augeat. Aucto pondere maior vis requiritur ad partium motum. Sub somno autem varii saepe suscipiuntur voluntarii motus, brachiorum & pedum extensiones & volutationes, cumque ad hos motus maiorem vim requiri sentiat anima, ideo & hoc quoque nomine defatigationis qualiscunque sensum experiri debet, quocum ponderis gestati, vel longioris itineris confecti idea facillime coniungitur. §. XXIII.

Morbum praesto futurum designantem insomniorum speciem exposuimus §. XXI. alia iam videamus, quoddam praesagium certo futurae in corpore mutationis exhibentia. Docet nos crebra saepe experientia, sanguinis profusiones, sive *haemorrhagias*, in sanis vel aegris evenientes, insomniis indicari, vel de vulneratione, vel de ipsis haemorrhagiis, eodem modo, quo dein revera eveniunt, succedentibus. Sic qui praecedente nocte haemorrhagiam narium in insomnio experti sunt, iidem non raro sequenti die eam vigilantes experiuntur. Quin sub ipso adhuc insomnio eandem saepius iam evenisse animadvertere licuit.

Cuius

Cuius causam non in Genio aliquo, qui hoc animae amicitiae suae ac benevolentiae signum dederit, ut de futura cruoris effusione eandem moneret, quaerendam putamus, sed in sola corporis dispositione. Fit nempe haemorrhagia a maiori sanguinis ad partem aliquam adfluxu & congestione, unde distensa ac tandem dehiscentes arteriolae contentum effundunt fluidum. Hanc vero sensationem vasorum vehementior excitat distensio, quam recte vigilantes satis exacte percipere solemus, dum pruritus atque qualemcunque ardorem in iis partibus, e quibus exitum sanguis molitur, animadvertimus. Cum vero alias hunc pruritus subsequens haemorrhagiae veluti prodromum fuerimus experti, mirum sane non est, ideam factae ex hac parte, in qua adscimus, sanguinis profusionis, vel spontaneae, vel violentae, coniungi. Non inutile hinc signum ex talibus capit *insomniis* Medicus, si criticae forte expectandae sint haemorrhagiae, sicuti id in synochis & inflammatoriis febribus accidere ut plurimum solet. Quod autem ex sensu illo irritationis in quadam parte haemorrhagiae excitetur idea, non mirum magis est, quam quod venerea insomnia ex seminis copia, vasa spermatica distendente ac irritante, oriantur. Immo eos, in quibus urina in vesica somni tempore accumulatur, saepius somniare scimus, quasi urinam emitterent, quod saepe quoque, magna ipsorum cum molestia, re vera ita contingere solet.

§. XXIV. *Mortem ipsam indicasse insomnia, varia testantur exempla, cum vulgus contrarium sibi habeat persuasum, eum longaevum fore, quem mortuum alii per insomnia viderint. Notari omnino dignus huius rei extat casus a Joh. LANZONI adductus, in Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Dec. III. Ann. II. Observ. XXXVI, p. 22. hisce verbis: Exemplum hic Ferrariae habuimus, ubi civis annorum 46. plethoricae complexionis, postquam cum domesticis quadam vespera coenasset*

E

luetan-

laetanter, ac inter risus frequentia pocula miscuisset, nocte dormiens, se esse mortuum somniavit. Mane narrat somnium domesticis atque amicis, qui omnes vanitatem somniatam mortem dixerunt, aiebant enim, cum Poëta Italico, somnia esse

Imagini disquaste e corrotte dal sonno e dalla notte. *Est post prandium de repente apoplecticus cecidit, & mortuus est ita intra trium horarum spatium. Causa mortis sanguinea hic fuit, ut vero est simillimum, Apoplexia, quam in homine plethorico, qui sanguinem iusto magis exagitraverat liberiori usu vini, haud miramur, cum apoplexia talis a distensione vel plenaria disruptione vasorum cerebri sanguiferorum oriatur, haec vero a iusto maiori ac impetuosiori sanguinis versus caput producatur affluxu. Neque etiam infomniis mortem praesagientis ratio cognitu admodum est difficilis, cum infarcta, a plethora commota, cerebri vasa, admodum difficulter sanguinem propellere potuerint, a tardiori vero huius fluidi per cerebrum progressu tristes excitentur ideae, quibus mortis imago iungi facillime potuit.*

§. XXV. Quae iam in anteced. §§. exposita sunt, si quis consideret, is facile intelliget, non morbosam tantum in corpore evenientem mutationem praesagiri ex infomniis posse, sed & eam, quae redeuntem indicare potest sanitatem. Si enim minus frequentia, vel saltem minus terribilia evadant horrenda antea crebriusque recurrentia phantasmata, circulum sanguinis liberiolem evadere, qualitatem quoque magis ad naturalem accedere statum, certissime constabit. Sed duo hic a Medico probe sunt attendenda, quae si minus rite attendantur, non incerta modo, sed & plane falsa erit inde formata prognosis. Primo saepius animadvertimus, aegros, febribus potissimum inflammatoris decumbentes, paulo ante obitum tranquilliores reddi, atque hinc spe sanitatis & adstantes & imperitiolem fallere Medicum. Sic phreniticorum furor atque

atque audacia cum delirio cessat, ipsique tranquilliores evadunt, non amplius in lecto se se iectigant, rationis usum, quantum ex responsis ad quaestiones datis perspicere licet, recuperant, tandemque mentis optime compotes decedunt. In sphacelum enim abiens inflammatoria stasis aestum minuit; redditur inde sanguinis circulus magis aequabilis & insomnia, si quae tunc eveniunt, pro mutato hoc corporis statu erunt blandiora, nulla tamen salutis spe adfulgente. Deinde, quod recte saepius a nobis iam excitatus celeberr. Dn.D. DANIEL moner*), caveat Medicus, ne a moraliibus evenientia insomnia pro talibus habeat, quae e corporis mutatione evenerunt. Fieri enim potest, ut ad mortem a Theologis praeparatus aeger ea, quae interdiu de salute aeterna, beatissimo coelitum statu, & similibus, audivit, in insomniis repetat, minime vero idcirco suavia eiusmodi insomnia simpliciter & solitarie tanquam praesagitationes aeternae consequendae salutis sunt accipiendae.

§. XXVI. Et sic patere existimo, non contemnendum omnino signum insomnia praebere in medicina, cum & temperamentum subiectorum indicent, & circuli sanguinis, ipsiusque huius fluidi naturam & constitutionem demonstrant, & crises eventuras, paroxysmos ingruentes, redeuntem sanitatem, vel ipsam denique mortem imminentem, praesagiant. Tenendum tamen & hic est, quod de omnibus omnino in medicina signis valet, numquam uni tantum signo fidentum esse, sed plura semper simul sumenda, si vera iustaque formari debeat prognosis. Sic ex sanguinis e vena secta emissi constitutione, ex urinae, pulsus, sudoris, & haemorrhagiae forte evenientis natura, si haec sigillatim considerentur, certi nihil concludi poterit, sed plura coniuncta de morbi eventu demum certiore reddunt Medicum. Hoc si quis reputaverit, non movebitur eorum argumentis, qui vanitatem

*) l. c. p. 96.

nitatem signi ex insomniis desumendi ex incertitudine atque fallacia eius, adductis quoque pluribus exemplis, demonstrare conabuntur, cum de omnibus saltem solitarie sumtis id valeat signis, quod contra insomnia fortitan moveri possent.

§. XXVII. Praeter haec a nobis exposita de corporis statu testimonium perhibentia signa, negari non potest, alia quoque sub insomniis observari, quae *Σείον* aliquod continent, cuius ratio reddi omnino nequit. Non dicam iam de divinis in insomniis factis revelationibus, in S. S. uberius expositis, quae cum auctorem Deum agnoscant, ut tacite a nobis admirentur, quam curiosus examinentur, magis omnino requirunt. Recentiora extant exempla insomniorum miras sane continentium praedictiones, quae cum a viris fide non plane indignis adferantur, aliquam saltem attentionem utique merentur. Sufficiat nobis unicum hic allegasse, a *Iob. Christoph. BAVTZMANNO* in *Append. ad Ann. I. Decur. III. Ephemer. Acad. Nat. Cur. p. 37.* expositum. Virgo erat, ut paucis rem satis suse ibi descriptam comprehendamus, annorum XVIII. quae hysteris valde vexabatur pathematibus; huic ante morbi initium sub insomnio manifestatum, ipsam non modo aegrotam esse evasuram, sed & tempus & singula sub morbo simul eventura symptomata. Progrediente morbo, duo sub insomnio ipsi adparent viri, totum morbi statum, durationem, quin & tandem medendi methodum per laxantia & venaesectioes, exacte exponentes, a quibus, quod miratu maxime dignum, virgo iubetur, ut in calendario per aliquot futuras hebdomades singulis diebus, per demonstrata sibi signa, adnotaret, quid secum futurum esset, ita ut numerus paroxysmorum, an frigus, an aestus, an animi deliquia, convulsionis & alia praesto futura sint, tali modo indicarentur, quo postea evenere. Signa illa cum eorundem significatu uberius ibi exponuntur. Tandem & interdiu vigilantia phantasiae varia occurrunt ludibria, ut modo cacodaemonem, modo aliud spectrum se videre adfirmaret. Neque quidquam, optima licet adhibita, proficiebant medicamenta, donec, variis per longum satis tempus perpeffis pathematibus, facta tandem loci mutatione, aliisque remediis singularibus in usum vocatis, pristinae restituta fuerit sanitati. Plura qui legere cupit, is non supra modo laudatum *Henricum ab HEERS l. c.* sed & *GASSENDVM* adeat in *vita Peirescii p. 75.* Cum vero haec non Medicorum foro subiecta sint, eadem hinc Theologis potius atque Philosophis diiudicanda relinquimus.

T A N T V M.

Halle, Diss., 1749


ULB Halle
002 729 393

3



sb





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



DE
MNIIS
N MEDICINA,

1749 30
3c
6

INIS AVSPICIIIS
ET
M ORDINIS CONSENSV
ESIDE
LIA BÜCHNERO
IMPERII NOBILI,
REGI A CONSILIIS INTIMIS,
ATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ALAT. CAESAREO,

V DOCTORIS
A HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
EGITIME IMPETRANDIS,
S. A. S. R. CI¹DI¹CC¹XLIX.

L. Q. C.
FRIDERICIANA
VTABIT
LMVS HEISTERBERGK,
DORFIO-SAXO.

AGDEBVRGICAE,
ANI MENDELII, ACAD. TYPOGR.

W. B. G. 6-5